

Quas quidem duas sexagenas grossorum promittimus bona fide, nomine nostro et successorum nostrorum dare et sine contradictione pagare supradicto domino Martino et suis successoribus pro dicta decima et loco ipsius de praedicto allodio in omnem eventum annis singulis perpetuis temporibus in festo beati Michaelis, eo tempore quo dictum allodium habebimus in nostra potestate, omni dolo et fraude postergatis. Si autem nos dictum allodium de consensu capituli nostri vendere, hereditarie exponere vel sub annua pensione locare contingeret, per hoc iuri dicti beneficii in nullo volumus derogare, sed volumus quod duae sexagenae grossorum vicario praedictae vicariae pro tempore per possessorem vel possessores ipsius allodii de ipso allodio in omnem eventum solvantur iuxta omnem modum prius expressum. Eo etiam proviso, quod litterae recolendae memoriae domini Witegonis quondam episcopi Misnensis super dicta decima confectae, quantum ad illam clausulam de decima in Goslicz duntaxat, in antea et deinceps nullam habeant seu habere debeant roboris firmitatem, aliis autem omnibus in dictis litteris contentis in sua firmitate duraturis. In cuius rei evidens testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum sub anno domini millesimo quadringentesimo decimo sexto sabbato ante festum beati Bartholomaei apostoli gloriosi.

Et nos Nicolaus decanus, Nicolaus de Gubin archidiaconus Nisicensis, Waltherus de Kokericz archidiaconus Lusaciae, Nicolaus Czigeler custos, Johannes de Goch praepositus ecclesiae sancti Sebastiani in Magdeburg, Johannes de Slinicz praepositus Budissinensis, Stephanus Moir scolasticus, Petrus Sparnaw praepositus Merseburgensis, Johannes de Malticz et Hermannus Radestog cantor et canonici ecclesiae Misnensis publice recognoscimus —, in commutationem dictarum decimarum prout superius est expressum consensimus et consentimus, ideoque sigillum nostri capituli in testimonium omnium praemissorum praesentibus duximus appendendum sub anno domini ut supra etc.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 896. 1416. 1. Oct.

Der Probst zu Budissin Dr. Johann von Schleinitz und der Archidiakon der Lausitz Walther von Köckritz erklären in Folge sorgfältiger Untersuchung und Abhörung von Zeugen von der Wahrheit der von den Bewohnern von Göda behaupteten Unschuld an dem jüngst verübten Strassenraube sich überzeugt zu haben und heben kraft der ihnen ertheilten Vollmacht das gegen sie ausgesprochene Interdict auf.

Johannes de Sleinicz decretorum doctor praepositus ecclesiae Budissinensis Misnensis diocesis et Waltherus de Kokericz archidiaconus Lusaciae in ecclesia Misnensi commissarii et executores ad infra scripta a reverendis in Christo patribus et dominis dominis Jacobo Plocensi et Johanni Vaurensi episcopis ac iudicibus commissariis et auditoribus per sacrosanctum generale Constantiense concilium in spiritu sancto legitime congregatum causarum ad ipsius sacri generalis concilii cognitionem pertinentium unacum certis suis in hac parte collegis — subdeputati universis et